

*De plantis nilotico-aethiopicis Knoblechterianis.*

Disseruit Dr. Theodor Kotschy.

(Additae sunt tabulae I., II., III.)

Exiguus numerus plantarum exsiccatarum, quas fatis functus Provicarius Reverendissimus Knoblechter, cum anno 1858 moraretur in Aethiopiae regno Bari, per regiones Gondokoro collegerat, forte fortuna in manus meas devenit. Plantas has quas acuratus determinavi et descripsi, Herbario Palatii Vindobonensis inserui.

Etsi ex his centum quinque speciebus plantarum pleraeque ad eas pertinent, quae in Cordofan et Sennar satis obviae sunt; reperiuntur tamen inter eas triginta species, quae in regione Nili necdum inventae erant. Nonnullae species hactenus prorsus incognitae erant, exempli gratia arbor insignis, foliorum praecipuae magnitudinis, quae novum sistit genus in familia *Sapotacearum*, *Butyrospermum* a me appellatum, ad quod etiam alia species a Mungo Park detecta, nomine arboris butyri insignita et in ejus itinerrario delineata, hucusque non sat nota generi *Bassiae Parkii* attributa, pertinet, quam ob rem haec collectio non modo quod ad geographicam distributionem plantarum attinet, sed etiam systematis causa magni momenti est.

Praeter plantas a Centurione Grant collectas et in descriptione itineris Centurionis Speke enumeratas, tantum hae a Reverendissimo Provicario Knoblechter collectae e regione gradus quarti latitudinis borealis ex Africa nilotica cognitae sunt.

Plures expeditiones nutu Proregis Aegypti in plagas Astapi susceptae, plantas parum curae cordique habuere; tantum in describendis regionibus nonnullarum plantarum insolitae formae mentio facta est. Semina aut siccatae plantae, quod ego sciam, ab iis in Europam non pervenere. Itaque ad praesens tempus tantum illae plantae hujus tractus cognitae erant, quas ego, quum Equitem Russegger anno 1837 ab urbe Chartum ad insulas Mahabali et Nabra Aethioporum Schillukorum comitarer, sicco anni tempore mense